

ligatur, c. ad Audientiam de iis, quæ vi, metusue causa sunt.

46 Infertur quintò, quod fidejussor datus de solvendis usuris, dummodò non intercedat juramentum, non obligatur, quia usuræ damnatæ sunt Jure divino, naturali, & Canonico: c. quanto amplius de usuris, immò etiam Jure Civili, quatenus Justinianus in l. 1. & 2., & l. non reddentes §. suscepimus C. de summa Trinitate, & fide Catbol. & §. 1. Aut bent. de Ecclesiast. tit. mandavit servari perpetuò decreta definita, & declarata in Sacro Concilio Niceno, tamquam leges sanctissimas, inter quas damnatæ sunt usuræ, & est cõmunissima Doctorum sententia, quorum in magno numero meminit, Barbosa in cap. quoniam num. 2. de usuris, intercedente autẽ juramento, solvendæ sunt propter religionem juramenti, cap. ad nostram il. 2. de Jure Jurand.

47 Infertur sextò, quod fidejussor pro contractu inito ab injustè ad talem effectum carcerato, nullam contrahit obligationem, quia contractus taliter carcerati omninò in Jure reprobatur, l. qui in carcerem ff. de eo, quod metus causa, dixi injustè ad talem effectum, quia si justè carceratus, & ad alium effectum, tunc si contractum ineat, & accedat fidejussor, uterque obligatur, ut dixi Rota, Merlin. decis. 506., Ottobon. decis. 205. aliæque habentur decisiones apud Scanarolam de visitatione Carceratorum folio 93. 95., & 103., Carill. decis. 272., & decis. 348. p. 9. recent. in quibus reprobatur, quod aliqui practicarunt, scilicet mos educendi carceratum extra Carceres, & collocandi in mansionibus Custodis, vel alibi, ut dicatur contraxisse extra Carcerem, & quasi in libertate positus, & cesset metus, quia adhuc verificatur, quod nequeat pro suo libito abire, sed sit in vinculis, & sub custodia Card. de Luca de beneficiis discurs. 78. num. 8. & 9. potissimum si sit sub fidejussione, quia adhuc est in fortis Curia, & metu tenetur, Farinac. q. 35. num. 24. immò, & justè carceratus si contractum iniret ad favorem Judicis, vel officialis nulliter contraheret, ita neque fidejussor obligaretur, quia præsumitur vi, & metu contraxisse, ut latè consideratur in dicta decis. Merlin. 606. num. 12., & seqq.

48 Infertur septimò, quod si prohibeam sepeliri Cadaver mei debitoris, nisi detur fide-

jussor de mihi solvendo debitum, fidejussor, qui accessit ad nihil teneatur, neque negligens dici potest si omittat solvere, quia sicuti iniuquum, & contra pietatem est prohibere ne mortuus sepeliatur, ita de re iniqua fidejussio non tenet, l. Sepulcri 8. ff. de sepulcro violato, Heringb. de fidejussor. cap. 10. num. 42.

49 Infertur octavò, quod, qui promisit renuntiare beneficium, recepta pecunia, vel quocunque alio modo Simonia interveniente, & ad hoc dedit fidejussorem, vel è contra, qui recepit beneficium promisit aliquid solvere, aut dare, ad hoc constituto fidejussore, cum contractus Simoniacus sit omninò in Jure damnatus, toto tit. de Simonia, & extravagant eadem tit., ita nullus est virtutis fidejussio: Heringb. supra nu. 51.

50 Infertur nonò, quod si sequestrum sit nullum, etiam fidejussio data ad relevandum sequestrum sit nulla, & fidejussor non obligatus: Pigant. ad Statutum rubr. 28. nu. 48.

51 Infertur decimò, si contractus sit nullus, ita & fidejussio eidem accedens sit nulla: Farinac. fragm. Criminal. p. 2. V. lex num. 179.

52 Infertur undecimò, quod si captura sit nulla, etiam fidejussio de habendo protuto carcere est nulla, Peregrin. praxi Vicarii p. 4. sec. 8. num. 25.

53 Clericus prohibetur fidejubere cap. 1. de fidejussor., quod intelligitur de fidejussionibus secularibus, ut ex pluribus ostendit, Barbosa in dicto cap. 1. de fidejussor. nu. 2., ubi quod plures intelligunt, si frequenter fidejubeant, posse tamen pro Ecclesia, vel alio Clerico, vel causa pietatis fidejubere: Bellet. disquis. Cleric. tit. de disciplina Clerical. §. 32. num. 6.

Si tamen fidejubeat etiam in causis secularibus tenet fidejussio, & cogitur eam servare: cap. Pervenit, cap. Constitutus, ubi Barbosa num. 2. de fidejuss., undè si negligat, omittat, aut recuset negligens est, & cogi potest à suo Iudice solvere.

54 Quod diximus de Clerico, non habet locum in Religioso, qui cum non habeat vele nec nole, non potest fidejubere, & si fidejubeat, nullius est momenti, undè in Religioso non potest cadere hujusmodi negligentia, cap. quod quibusdam de fidejussor., Sanchez. ad decalogum lib. 6. cap. 14. num. 38., Bellet. dicto §. 32. num. 8., Barbosa in dicto cap. quod quibusdam nu. 4. & seqq. reddit rationem, Sanchez.

Sanchez. dicto c. 14. num. 41., quare Clericus si fidejubeat obligetur, licet sibi vetitum, Religiosus verò non obligetur, nempè quia Religiosus non habet quid proprium, quod possit obligare, neque habeat propriam voluntatem, quam habet Clericus.

55 In contractu locationis, & conductionis dato fidejussore, si contingat tacita reconductio, hæc fidejussorem non afficit, quia strictissime est intelligenda obligatio fidejussoris de prima conductione, ad allegata per Mantiam de tacitis, & ambig. convent. lib. 16. tit. 14. num. 9., Pigant. ad Statutum rubr. 96. num. 32., ubi observandum est, si fidejussor aliquo modo consenserit reconductioni, putà continuando solvere, quia per talem continuationem censetur, & ipse consentire in continuatione fidejussionis, undè tenebitur pro eo anno, quo cepit solvere, & poterit cogi ad complementum, & si reconductio intelligatur ad sex menses, & fidejussio eo catu censetur continuata ad sex menses, & non ultra.

56 Sextus Casus quo fidejussor potest incurere culpam negligentia est, si fidejussit pro reo carcerato, & relaxato sub fidejussione de eum representando, nec representat tẽpore convento, vel quando sibi à Iudice præcipitur, ut representet, & in iis casibus incurrit pœnam negligentia, quæ est in ipsa fidejussione expressa, putà centum aureorum &c.: Farinac. q. 34. num. 1., quando autem non est expressa pœna, taxabitur à Iudice, & fidejussor in eo casu tenebitur ad interesse partis: l. 2. §. in fidejussorem ff. qui satisfidare cogantur: Farinac. q. 34. nu. 5., ubi num. 12., quod ista obligatio ad pœnam, & ad interesse transit ad hæredes, ubi nu. 29., quod contra fidejussorem proceditur summarie, executivè, sine libello.

57 Hic ergo solum est investigandum, in quibus casibus liberetur ab obligatione de representando, & sic à pœna, ad quam eatenus tenetur, quatenus omittit, quod face-re debet, & potest, & quidem primo loco observo, quod qui promisit reum representare, quod tempus taxatur à Iudice, vel secundum stillum loci, ut in Romana Curia solet esse unius mensis, ad allegata per Rotam Coccin. decis. 1088. num. 4., vel sex mensium, ut in l. sancimus 26. C. de fidejussor. vel attentis circumstantiis rerum, personarum, loci, in quo potissimum consideran-

dum est, an Jus partis factum sit, vel fieri possit deterius: Conciol. resol. Criminal. Verf. fidejussor. resol. 4., quia non factò deteriore ultra terminum, poterit etiam purgare moram l. & si post tres ff. si quis caution., & sic evitare culpam negligentia, & pœnam dicta l. sancimus, & ex allegatis per dictam decis. Cocc. 1088. num. 5. ad tex. in can. apud misericordiam 32. q. 1., can. Beatus 22. q. 2. cap. ex litteris de constit., Farinac. q. 34. num. 135., & de termino assignando arbitrio Judicis num. 147.

58 Et hoc etiam si fidejussio sit cum juramento, quia etiã juramentũ desumit interpretatione ex æquitate Canonica, dicta decis. 1088. n. 5., idè si terminus de consensu partis, vel Judicis prorogetur, & fidejussor consentiat, etiã virtus juramenti prorogatur ad terminũ prorogatum, ut ex veriori notat Barbosa in can. apud misericordiam num. 2., & 3. 32. q. 1. Farinac. dicta q. 34. num. 137., & 140. 141.

59 Si verò Jus partis factum sit deterius, mora purgari non potest, ex regula in parte prima hujus tractatus tradita, quando possit mora purgari, & consideravit Rota coram Coccino decis. 1051. num. 9., & dicta decis. 188., ubi num. 15., & seqq., quod moram non posset fidejussor purgare, ubi apposita fuisset dies certa, & pœna, quod & nos firmavimus parte prima præsentis tractatus.

60 Secundò fidejussor, qui se obligavit usque ad certum tempus, eo elapso liberatur, nisi interveniat in prorogatione, ita, & cessante obligatione, cesset, & negligentia, si verò non ad certum tempus, sed absolutè, & simpliciter fidejussit pro eo, qui erat obligatus usque ad certum tempus, facta prorogatione huic principali debitori, fidejussorem manere obligatum, ut conciliando D.D. opiniones scripsit Barbosa in cap. finali num. 19. de fidejussor., Gratian. discept. for. c. 68. nu. 38., Gabriel. de fidejussoribus concl. 3.

Differt tamen si promisit representare infra certum tempus, quia eo elapso, adhuc tenetur, sed potest purgare moram, ut dictum est Conciol. resol. 4. Verf. fidejussor.

61 Tertio, fidejussor de representando Reu, liberatur ab obligatione, si Reus factus sit irrepresentabilis factò Judicis, putà, quia eum bannivit: Farinac. q. 34. num. 39., & seqq., & num. 49., & Consil. 126. num. 5. lib. 2. Guazin. ad defensionem reorum, defens. 6. c. 4. Borell. summa decis. tit. de fidejussor. tom. 3. nu. 285., vel si Reus fugit propter minas, Judicis

- dicis. Farinac. num. 166.*
- 62 Quartò, fidejussor de representando toties quoties, si representavit reum, qui in carcere positus fugam arripuit, tenetur iterum representare, alias omittens, negligentia culpatur, ad allegata per *Bovellum d. tit. de fidejussor. num. 290.*, evitabit tamen pœnam, si eadem, vel sequenti die revertatur, etiam si fidejusserit de habendo pro tuto carcere: *Peregrin. praxi Vicarii p. 4. sec. 8 num. 76*, *Conciol. resolut. Criminal. V. fidejussor. resol. 3.*
- 63 Quintò, liberatur fidejussor, si principalis pro quo fidejussit de representando moriatur, absque dolo, & culpa fidejussoris, nam cum obligatio inhæreat personæ, ea extincta, extinguitur etiam obligatio, dummodo fidejussor non incurrerit moram, & negligentiam culpam, quando Reus moritur, debebat enim in termino sibi constituto representare *l. Sancimus C. de Fidejussor. l. si decesserit ff. qui satisfacere cogatur*, & latè explicat *Farinac. dicta q. 34. à num. 34.*, & pluribus seqq., dixi pro quo fidejussit de eo representando, quia si fidejussit de solvendo, cum hæc obligatio non respiciat rei personam, sed interesse partis, quod adhuc reo mortuo debetur, tenebitur fidejussor *l. si verò ff. qui satisfacere cogatur, Farinac. supra nu. 37.*, dixi absque dolo, & culpa fidejussoris, alias nõ deberet ex proprio dolo, & culpa commo- dum reportare: *Farinac. supra num. 35.*
- 64 Sextò, liberatur si Reus post fidejussionem datam mutavit statum, puta de statu laicali, factus est Clericus, tunc quia forum mutat, nec amplius possit judicari à Judice laico, cessat fidejussoris obligatio, undè nõ incurreret negligentiam notam, si omittat illi representare, *Farinac. supra num. 38.*
- 65 Secus si privilegium superveniat, quod addat forum foro: *Sperell. decis. 7. num. 11.*, *Fermosin. in cap. ex parte q. 9.*, & *in cap. Proposuit q. 5. de foro compet.*, *Salgad. labyrinth. Credit. p. 1. cap. 7. num. 79.*, & seqq. ad *tex. in l. si quis postea quam ff. de Judicis.*
- 66 Quæstio est, si reus novum delictum commiserit, & Judex præcipiat fidejussori, ut illum representet, an in hoc casu teneatur, tractat casum, *Farinac. supra num. 63.*, & seqq., & respondit, quod si pro causa, pro qua fidejussit, nova non supervenerint inditia, tunc aperte dignoscitur Judicis malitia, qui Reum habere intendit non pro

- primo, sed pro secundo delicto, fidejussor non tenetur illum representare, & idem, *Farinac. Consilio 59. num. 5. lib. 1.*, dat cautellam, quod fidejussor petat ad favorem rei salvum conductum pro omni alia causa, quem Judex tenetur concedere, dum fidejussor non teneatur nisi pro causa, pro qua fidejussit strictè, ad *tex. in l. 2. ff. si quis caution.*, tamen idem *Farinac. dicta q. 34. à nu. 71.*, & seqq., dixit non esse salvo conducto fidendum in causa gravi, & delicto capitali, quia salvus conductus fragilis cautio est, quod dictum non est admittendum, dum à Principe salvus conductus conceditur, quia fides publica est omninò servanda, nõ displicet tamen alia ratio ejusdem *Farinac.*, quod si Reus esset capitaliter bannitus per salvum conductum non esset tutus, quin in itinere ab aliquo occideretur.
- 67 Septimò, si fidejussor se obligavit representare Reum infra tempus determinatũ, puta infra octo, ad hoc ut incurrat moram, & pœnam, an requiratur Judicis interpellatio, ut dixerunt plures allegati à *Farinac. dicta q. 34. nu. 125.*, & seqq., vel potius dies interpellat pro homine, maxime, quia est apposita dies, & pœna, ut plures alii voluerunt ab eodem allegati à *num. 129.* & seqq., quia satis controversum est, notat *num. 134.*, quod in practica tollitur difficultas ex eo, quia vel dicitur toties quoties fuerit requisitus, & tunc requiretur interpellatio, vel dicitur infra tot, etiam irrequisitus, & per hoc verbum etiam irrequisitus, cessat necessitas interpellationis.
- 68 Octavò, fidejussor, qui simpliciter promisit reum representare si semel representet liberatus est, nec amplius tenetur, ad *tex. in l. boves §. hoc sermone ff. de verbor. signific. Farinac. num. 153.*, ad differentiam si promittat representare toties quoties *nu. 157.*, quia tunc tenetur pluries, & pluries etiam in infinitum, ita etiam si promississet representare quancumque, quia isti termini toties quoties, & quancumque habiles sunt importare infinitatem, idem *Farinac. nu. 157.*, & 161., licet 163., alleget sentientes, quod obligatus toties quoties liberetur, per duplicem representationem ad evitandam infinitatem, à qua natura abhorret, & ipse *Farinac.* testatur nunquam vidisse practitari representationem ultra duas vices.
- 69 Nonò, si essemus in dubio an fidejussor tenea-

teneatur representare reum, tunc non representando non incurrit moram, nec pœnam negligentiam, quia solum habet locum in casu certo, & alias in dubio pro non obligatione tenendum est, ad *tex. in l. non*

puto ff. de Jure Fisci. Farinac. supra nu. 182. apud quem latè videri poterit, quando fidejussor teneatur, vel non teneatur representare reum.

De Negligentia Filiorum in Parentes.

S U M M A R I A.

- 1 Filius institutus à Patre in usufructu, & proprietate, & aquietat, nec reclamet, ex hac omissione sequitur, quod dato tempore debet usufructum imputare in legitimum.
- 2 Pater legans Uxori dotem, & donec ei solvatur, jubet quod filius annuam præstationem tribuat; certo si filius negligenter differat, præstationes replicatas cogitur solvere.
- 3 Nec præstationes compensantur cum dote, licet debitum sit necessarium, per dotem, quia de mente testatoris utrumque dandum esse colligitur.
- 4 An legatum de annua præstatione solvenda per filium, donec dotem matri restituat, sapiat usuram latè discutitur.
- 5 Si dos restituenda consisteret in re fructifera, tunc annua præstatio non sapiat usuram, sed interesse.
- 6 Si dos esset restituenda in pecunia, quam Uxor vult implicare in re fructifera, tunc annua præstatio sapiat interesse, non autem usuram.
- 7 Si annua præstatio legata sit titulo alimentorum, tunc non est usura.
- 8 Si annuum legatum fiat per modum pœnæ valet, quia filius negligendo restitutionem dotis delinquit, & meretur pœnam.
- 9 Si verò legatum factum sit ad impetrandam dilationem dum hæreditas non est solvendo, tunc sapiat usuram.
- 10 Sicut cursu annorum non multiplicatur, sed continvatur negligentia, ita nec pœna multiplicatur, sed continvatur.
- 11 Annua præstatio pariter sustinetur ab usura, si adnexa sit summæ alias non debite, sed pro libertate hæredis solvende.
- 12 Tunc esset Usura, quando præstatio annua adnectitur summæ alias debite, & legatur
- ad impetrandam dilationem, ne cogatur solvere.
- 13 Filius negligendo salutem spiritualem, aut corporalem parentum peccat mortaliter.
- 14 Negligentia filiorum, quæ sit effectus ingratitude, est sufficiens causa filios exheredandi; & habet locum in pluribus casibus.
- 15 Quæ exhereditatio non habet locum cum minoribus annorum 18.
- 16 Filius meretur exheredari, si negligat Patrem carceribus mancipatum, vel in captivitate positum, itaut neque per restitutionem in integrum ei succurratur, ut succedat in hæreditate.
- 17 Item si negligat alere patrem pauperem, & indigentem alimentis, dum ipse filius, vel beneficium, vel arte, vel hæreditate, vel dote pingui abundat panibus.
- 18 In eo casu si filius legitimatus sit, amittit legitimationem, si emancipatus, revertitur ad patriam potestatem.
- 19 Parentibus indigentibus filius non potest ingredi religionem.
- 20 Filius negligens Patrem in quacumque necessitate, etiam infidelem, peccat mortaliter.
- 21 Patri extremè indigenti permissu filios vendere.
- 22 Filius ad studium missus à Patre, si negligat studere, & proficere, imputat in suam portionem expensas tali occasione factas.
- 23 Filius nisi sit hæres, non tenetur solvere debita patris.
- 24 Nisi debita sint à Patre contracta pro filiorum alimonia.
- 25 Filii matrimonium contracturi ex honestate non debent negligere consilium Patris.
- 26 Filius negligens Jussa Patris cito moritur.
- 27 Mortuis parentibus tenetur filius curare condecens sumus corporibus, & spiritualia suffragia animabus.